

Edepol ego non aliter, nisi cum mutua fiducia
Rem publicam Romanam temperare cupio.
AP. Fortuna tibi faveat, Metelle consul, Igitur...
ME. Eodem sermone adloquar Quirites, quo Menenius
Vir ille maximus iratam plebem mitigans
Coercuit. Ego pol sic volo. — AP. Ut iubet. Vale.
ME. Reapse hic quam angusti ac pusilli animist homo!

SCENA VII

METELLUS, CAEPIO


ME. I, Caepio ad Licinium tribunum eique nuntia,
Ut officium quod imperat, nullum respectans faciat.
I curriculo. — CAE. Optumest. At Publius a te se admittier
Volt arcano atque optat, ut ingrediatur libere
Neu quisquam, quas res sit dicturus, audiat.
ME. Dic ergo sis lictori, ut neminem sinat accedere.
Illum intromitte sis. — CAE. Mihi videtur esse Publius
Illi similis homoni, qui malum animo concoquat;
Truculente ac terribiliter huc illuc vorsat oculos;
Illi verba manifeste produnt dementiam;
Videtur niti se confirmare et tremit tamen.
ME. Ne vituperes probum istum adolescentulum,
Qui suo pro patre sollicitus tremit.
CAE. At arcano te volt adloqui et praesentis timet.
ME. Nemo se supplex volt ab aliis audirier;
Ego pol illum recte novi; animus generosus est.
Tu vero fac sis, quod iussi tibi. — CAE. Illico.

SCENA VIII

METELLUS, PUBLIUS.

ME. Salve, tribune. Quid me vis? Iam loquere;
Soli sine arbitris sumus; votui quemquam huc accedere.
Agedum, id unum te rogo, priusquam te mihi
Sincere aperias; animus reliquisse videtur te magis,
Quam istuc virum decet; ergo illud unum te rogo,
Ne descendas in humilitatem, quidquid animo volveris.
PU. Quid hoc intellegis? — ME. Edepol semper mihi dolet,
Quom Romani accedunt adulantes suppliciter;
Nam aut laborare vires virilis aut pati decet.
Mulieres fleant. Quom Regulo magno gnatus sies,
Huius rei memor ferto dolores leniter
Et fer, quod ex civili officio mutare non potes.

(Ad proximum numerum)



Pauca exemplaria reperta sunt

IOANNIS B. FRANCESIA actionis dramaticae, versis senariis conscriptae,
cui titulus:

EUPLIUS

Venit libell. italic. 2; quibus addenda erunt libell. 0,60 in Italia;
libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorein venumdantur JOSEPHI FORNARI
Milesiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud
ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.


(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici
cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 600 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1200, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXV

Romae, mense Martio MCMXXXVIII



Fasc. III

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

DE SPECTACULORUM PERNICIE

Haud equidem mirer, si qui, nostra legentes, animo offensionem conceperint, quod hodierni theatrorum atque non minus *cynematum* spectaculorum ritus veluti patrocinium nobis adrogare visi simus. Immerito tamen; nam id tantum in tuto ponere consilium fuit, huiusmodi spectacula a nostris moribus delere herculeum esse facinus nemini aggrediendum; quae enim necessaria quodammodo, uti vidimus, hominum vitae fiunt, frustra expellere quovis iure coneris.

Ecce vero unanimis semper ac tuta tot maiorum sententia de facili morum detimento in adeundis spectaculis fuit? Vel qui fit, ut Catoni illi maiori Plautinas fabulas acriter adversanti, Tertulliani obiurgationes, episcopi Melatensis eloquentia, Rousseau sententia tam mira concordia accedant?

Fatendum quidem est, etsi non pauci vel diurno usu, vel unico artis studio intenti prolatis in scenam illecebris nullimode perturbentur, longe tamen plures malae voluptatis stimulis succensos ex caevis discedere.

Sed quibus de causis haec fiant non inutile erit considerare, quo tutiora remedia afferantur.

Est vero, nec asserere dubito, in iis prima ipsa ingenuarum artium insoles ac natura in morum corruptionem facilis ac prona. Novi enim praecipuum eius esse finem pulcherrima quaeque sibi proponere, eademque exprimere atque referre, quae profecto aeternae veritatis quasi splendores per mundum fulgent. At quem latet, qua maxime specie infirma hominis natura percellatur? Quo spectaculo assiduo et vario facillime eos in corruptionem delabi miserandum est, ita ut inter celeberrimos pulcritudinis artifices, qui ab huiusmodi insidiis incolumes evaserint, paucissimos quavis aetate adnumerare liceat.

His, quum de theatris cinematibusque (prout vulgo dicitur) loquentibus sermo est, nova accedunt eaque graviora; quae enim dramatica poësi oculis subiiciuntur, nec bella ferme sunt, uti in epica, nec animorum motus omnes dissitique impetus, uti in lyricis, nec documenta vitae utilima, uti in didascalicis, sed ipsius hominum vitae casus et eventus, in quibus nemini ignotum est quantam sibi partem vindicet amor. Et sane Homerus ipse primus, si Troianum bellum non epico carmine sed dramatico enarrasset, Paridis Helenesque amores nescio quo pacto a scena arcisset.

Memini ad rem ipsius Manzonii rigidissimi viri exemplum, qui post celeberrimam fabulam cui titulus: *I Promessi Sposi* exa-

rata, quo vis voluptuosae fictionis dialogos, eventus, picturas ab ea sensit arcenda. Cui praecerto ut morem gereret, huiusmodi omnia quae in primo opere redigendo copiosa foecunditate inseruerat, quum vulgandum fuit ita resecuit, ut, nonnisi quae necessaria ad actionis intelligentiam videantur, brevi ac nudo sermone reliquerit.

Ecquid tamen? Totius fabulae abdita ratio et quasi *deus ex machina* amor ille permansit, cui Rodericus tyrannulus spurcissimus foedo consilio adversatur.

At quum dramatum officium sit, etsi musice agantur, hominum vitae quasi fragmenta fingere atque exprimere, maximas partes caeco Cupidini tribui necessarium videtur. Quibus oblati, etsi licita sint et quavis turpidine carentia, flecti paulatim mores ac corrumpi spectaculorum assiduitate fatale est. Res fusa per tractatione non indiget.

Quid vero quum tot ac tantae fabulae in honestis amoribus illigatae in scenam prodeant? Gaudet enim has primum fingere insignium artificum infaustum agmen, qui verissimum arte sibi censem quod foedissimum ac maxime sordidum sit, ut, quo magis inter hominum societatem virtutes vitiis superentur, ita in eorum operibus criminibus ac flagitiis potissimum tribui locus videatur.

Quos falso tractandae artis consilio deceptos innumeri proxime sequuntur, qui ingenium pennis parum validum malis illecebris fulcientes, spectantium plausus sibi conciliare per fas et nefas nituntur.

Spectaculorum post hos susceptores, corruptis civium moribus confisi, huiusmodi fabulas actoribus agendas imponere ac proferre maxima spe lucri non dubitant.

His omnibus, quae ad intimas spectaculorum conditions pertinent, externa additio: hominum qui fabulas agunt delapsos plerumque mores, praecipue mulierum, quae formae illecebras ostentare non renunt; adde, quoniam de hoc loquimur, adstan-

tis ipsius multitudinis et muliebris praesertim coetus animos, quos, subiectis fabulis paulatim male commotus, habitus et aspectus satis ostendunt; ac fatendum quovis pacto tibi erit nullibi forte in adolescentium perniciem plura vel maiora patrari. Quodsi ad ultimum chorearum mimeris, quae musices spectaculis adiungi plerumque solent, dederis profecto ingenuarum artium musices et picturae honestis blanditiis tales esse ab hominibus, perditio consilio, muliebres illecebras additas, ut optimae illae artes non ad cultum animorum et levamen adhibitae, sed ad voluptatem omnium lenocinium publicatae videantur.

Haec sunt, nec facile contra dixeris, hodiernae spectaculorum conditions ac pericula; quid igitur erit, quum nec alibi bonarum artium solamine recreari nos liceat, et quasi necessario iis uti cogamur? Facilis est in corruptionem artium natura; at modus quo nobilissimae hae divinae pulcritudinis aemulae in melius dirigi valeant nullusne erit?...

I. ANTONELLI.

SPECIMINA POËSEOS BOHEMICAЕ LATINIS VERSIBUS REDDITA

Iosef Václav Sládek (1845-1912)

(Versus, quos poëta scripsit paene moribundus)

I

DEUS - ANCORA MEA.

Ancora sescentis mortalibus usque fuisti:
nunc etiam mihi sis ancora firma, Deus!
Sis Pharus alma mihi, tenebras quae pellit et
[offert]
ex absente procui litore lucis opem.
Est fragilis mea cymba feris obnoxia ventis:
huc illuc miseram dira procella quatit.
Quassam sustineas et — quā maris ira remittit —
ad portum pergas ducere, Dive, tuum!
Vertit FR. PALATA (Moravus).

Cfr. fasc. sup.

VENCESLAUS ALOSIUS SVOBODA POËTA LATINUS¹

Sermo Latinus, quo Svoboda utitur, magnam partem scriptores et poëtas aetatis Augusteae imitatur. At suas habet proprietates, quarum hae potissimum notanda sunt:

1° Saepissime adhibet poëta *dum* (rarius *donec*) pro *cum*: (264) *dum* saxum admovebat, capras mulgebat, (Sch. 108); *donec* aureas ad fores veneris, ingredere.

2° *Sin* ponit pro *si* nullâ condicione praecedente: (123) *navales* operas fugias, vivere sin percupis.

3° *Neu* usurpat loco *nec*: (190) neu idem clamor, neu vox erat omnibus una. Paucis ut dicam: *sin et si, nec et neu* apud eum prorsus synonyma sunt, quorum alterum alteri praefert, prout euphoniae aut metri ratio postulat.

4° *Quin* cum indicativo aut coniunctivo substituitur negativae particulae *nec*: (196) *me humus teget, quin* planctum audiero; (240) *expedit e castris, quin* senserit ullus (Sch. 6); *si tempus transiverit, quin* reus redierit.

5° *Ut vel utut* cum participio aut adiectivo vicem gerit Graecae particulae *καί περ*: (208) disponunt aciem reges, ut vulnere tardi; (Sch. 42) *sacellum, utut modicum, thesaurum fert mirificum.*

Passim occurrit: *quivis pro quicunque* (166: tua cuncta censes, quaevis vides); *quisquam pro aliquis* (242: ad naues te quisquam adduxit); *ve* sensu gradativo pro *vel* (7: quos pecorive foret subire probrum). Crebrius ponitur (etiam in prosa) particula interrogativa *utrum* sine sequente *an*, pro *utrum (ne)-an* hoc illo loco invenitur — prout metro convenit — *an-*

num, num-si, an-ne, pro nondum, nedum; pro *ne-quidem* simplex *ne*.

Ex vulgari sermone irrepserunt locutiones: *quidni recipis* (*quidni* cum indicativo, Sch. 9); *me praestolatur* (*pro mihi* Sch. 43); *praedā potitā fruitur* (Sch. 62); *rigida iura pertaesus* (Sch. 102); *decus repotitus rarum* (Sch. 119); *persuasus (saepius)*.

Immo non desunt loci erroribus grammaticis inquinati. *Susurrus* semper flectitur secundum *currus*; *ambire* secundum *perire*, ita ut formae orientur *ambeunt, ambeat* aliaeque. Semper scribitur *miserescor* pro *miseresco*, cum rursus insolitae formae activae verborum deponentium occurrant, velut *conspicare, vescere* pro *vesci*. Praeterea nota: *victici impetu* (61); *cum vobis* (140); *Troīā in omni* (239); *duo... viginti curribus* (259); *sudes oleaginus* (266); *recubaverat* (269); *mente domatā* (270²); *Styga testem iuratum* (Sch. 18); *merges tactus* (Sch. 18; *pulso* *tudite* (Sch. 33); *iussibus parere* (aliquoties). Quae manifestae hypothetarum incuriae imputanda sunt (velut 138 *hocce tumulum*; 161 *vites plenos*; plus semel *quidcumque*), praetermitto.

In phraseologiā haec displicant: *ense recinctus* (178 pro *cinctus*; *ense cingor* ensem induo, *ense recingor* — ensem exuo!), *clipecum recudit* (241 pro *cudit*); *domus recludit* (210 pro *claudit*³); *signa nutant* *tyrannidem* (18 pro *innuunt vel portendunt*), *inquirere aliquem aliquid* (80); *ire in suppetias* (203); *dentes frendunt alicui* (226 pro

² Rarissimae apud antiquos formae!

³ Ut poëta abutitur encliticis *ce* et *ne* (vide supra), sic abutitur praefixo *re*. Etenim hae syllabae bene inserviunt dactylis construendis.

aliquis frendit dentibus); liba fero (264 pro *libamina*); compertus aliquid (265 pro *convictus alicuius rei*); quae sperem fasta (SCH. 5 pro *fausta*); maritare virum sorori (SCH. 6 pro *despondere*), iuba comat ferum (SCH. 53 pro *comit vel decet*). Audacius ficta est locutio: scapha depellit (SCH. 7 pro *solvitur*), formata per analogiam usitatae dictionis *scapha appellit*. More Germanico omittitur interdum participium *tenuis vel gestans*: (200) Telamonius instat, scutum ingens humeros circum (gestans); (247) in manibus taedas (tenentes), illae triclinia lingunt. In versibus epicis identidem incidimus in vocem *caballi*, quam sublimior mos veterum poëtarum epicorum respuit.

Graeca nomina (imprimis propria) poëta nonnunquam sine causâ retinet: *Athenè*, *Irene*, *Demeter*, *Achilleus*, *hepar* aut pro suo arbitrio flectit: gen. *Arctūs*, accus. *Atridēm*, *Aeacidēm*, et quae sunt exempla similia. Vocabula (praecipue epitheta ornantia) ex Latinitate posteriore aut recentiore petita necnon a poetâ ipso novata multa sunt: *auriugus*, *altipotens*, *acripes*, *blandisonus*, *caelivolus*, *noctigena*, *obsequus*, *pulcricomus*, *refrigerium*, *templififer*, *trinus*, *urbifragus*; verba: *crepescere*, *sentiscere*, *rediterare*, *irraucare*, *arrectare*, *refulcire*, *mollere*, *gravere*. — Contra, ex prisco sermone vix quidquam nobis obvium est praeter formas plerumque Vergilio tritas: *ipsus*, *olli*, *fuat*, *siet*.

Nonnulla menda typographica sensum turbant, nec tamen in appendice correcta sunt: *lupus pro gruis* (68), *populariter pro popularier* (17), *Herculi pro Hectori* (24), *filia Ponti pro Nerei* (242), *canis ferebat* per fluvium carnem ferens pro *meabat* (271). Apparet correctorem plagularum typographicarum, non minus quam auctorem ipsum morae ac laboris impatientem, parum curae officio suo impendisse.

Restat, ut de re metricâ carminum ad antiquam normam compositorum et de pro-

sodiâ verba faciamus. Versûs Slobodae fere respondent praecepsis aevi Augustei. Offendunt tamen nonnulli hexametri caesurâ et nonnulli versûs Alcaici hendecasylabi diaeresi carentes, velut (245) in Sibylo, quâ blandis esse cubilia dicunt; (28) laetare ceu Phoenix cinere ex tuo. — Accedit, quod in eodem versu Alcaico saepe brevis syllaba ante diaeresim occupat locum syllabae longae, velut (9): multa ante saeclâ qui comes adstitit.

In prosodium non raro peccatur. Poëta semper metitur — ut plerique recentiores — *temerē*, semper *umbilicus*, *umbilicatus*, *rētuli*, *excīdium lēvir*; ante vocalē sribit — more tunc usitato — *āc pro atque*; passim occurrit: *hōdiernus* (50), *paedagogus* (65), *mäcerat* (120), *prāoptate* (123), *octōginta* (124), *invenīs* (151), *Iturus* (183), *Agamemnōn* (188), *Achillēs* (227), *alipēs* (228), *advenīs* (261).

Quaerat quispiam: Quomodo laudare potes poëtam, cui tot menda idem obicias? Respondeo: Etsi in rebus minutis reprehendendus sit, laudem tamen meretur ob elocutionis habitum atque colorem vere Romanum et versûs sine ullis salebris numerose recurrentes. Accedit, quod multa vitia non sunt eius propria, sed communia plurimorum poëtarum, qui post renatas litteras exstiterunt. Denique quis exspectet rhythmos omnibus numeris absolutos a poëtâ, qui numeros nil praemeditatus ex tempore fundere solitus sit? Limatiora tamen mihi quidem videntur eius carmina versibus homoeoteleutis confecta, quam quae antiquis metris sunt adstricta.

Versibus homoeoteleutis, accentus grammatici ratione habitâ compositis, iam nonnulli aequales Slobodae ausi sunt interpretari carmina novicia. Ab ipso commemorantur in praefatione Heine, Füglsteller, Fuss. Hos vero omnes Sloboda et dictionis elegantiâ et versuum nitore ac suavitate longe superat. Quid? quod etiam eorum praeconia obscurat, qui post eum idem

opus aggressi sunt et identidem aggrediuntur. Quod his virtutibus assecutus est:

1º Liberius transferens exemplaria sua, consulti quam maxime sermonis perspicuitati;

2º quatenus fieri licet, accentum singularum vocum respiciens, exprimere studet numerum iambicum trochaicum aliumve, quem exhibent archetypa;

3º summâ religione curat, ut fines versuum sibi ad amissim respondeant. Etenim cum alii sat habeant extremarum syllabarum exitus similes quaerere, ipse exitus pares aucupatur, sive — ut novicio more loquar — cum illi acquiescant in syllabarum assonantia, ipse semper plenam affectat consonantiam. Haec est eius virtus praincipua. Cuius multa afferre possum documenta; sed penuriâ loci urgente adscribo tantum *Campanae Schillerianae*, v. 355-379:

*Vae! Fomite si coeco plena
urbs clam tumultus agitat,
si plebes, legum rumpens frena,
se ad vindictam concitat.
Rebelli ausu aes pulsatum
clangorem edit tetricum,
nam — sanctis ritibus dicatum —
nunc caedi canit classicum.
«Libertas! Aequa cunctis iura!»
Hæc turba iactat concita
et caede cuncta vastatura
cruore foedat compita.
Tum matres ceu hyaenæ tractant
ut iocos dira scelera,
invisos furibunda mactant
et corda vellunt lacera.
Tum Fas et sanctus Pudor tacent,
nihil non furor temerat,
scelestus regnat, probi iacent,
libido vecors imperat.
Leones ausum est horrendum
vel tigridas lacessere,
at monstrum non est tam horrendum
quam furens homo scelere.*

In universum poësim Latinam Slobodae ita fas est aestimare: Probe callet linguam

Latinam et pollet haud vulgari versûs componendi facultate, neque expers est ingenii poëtici. Nihilominus non est dubium, quin plus decoris poëmatis suis additurus fuerit, si nimiam vitans festinationem plus temporis impendisset versibus perpoliendis.

FR. PALATA, Moravus.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS¹

De participio

a) Post quaedam verba, participium usurpat, quum attendunt ad definitum statum rei vel personae; infinitum aut coniunctivum cum coniunctione, quum ipsam actionem animadvertis.

EXEMPLA: Quocumque te flexeris, ibi Deum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat (SEN., Ben., 48) — Sunt quidam in hac urbe, qui nec orientem unquam solem viderunt nec occidentem (SEN.) — Homerus Laertam colement agrum et stercoreantem facit (CIC.) — Socratem Xantippe eodem semper vultu exeuntem domo aut revertentem videbat (CIC.) — Horatius respiciens Curiatos videt magnis intervallis sequentes, unum haud procul ab sese abesse (TIT. LIV.) — Xenophon Socratem disputantem facit formam Dei quare non oportere (CIC.) — Plato construi a Deo atque aedificari mundum facit (CIC.) — Tribunum plebis, plus viginti vulneribus acceptis, iacentem moribundumque vidistis (CIC.) — Hominis utilitati agros omnes et maria parentia videmus (CIC.) — Catonem vidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum libris (CIC.) — Eridanum longe serpentem et manantem adspicies (CIC.) — Attalum audivi in mala vitae

¹ Cfr. fasc. sup.

perorantem, et misertus sum generis humani (SEN.) — *Ecce video rure redeuntem senem* (TAC.) — *Socratem audio dicentem cibi condimentum esse famem, potonis sitim* (CIC.) — *Ita se praebebat impigrum, ut eum nemo unquam in equo sedentem viderit* (CIC.) — *Aspice convexo nutantem pondere mundum* (VERG.) — *Is visus est sibi cernere quemdam in toro residentem admoventemque capiti suo cultros atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos* — *Volumnius consularis Valerium vidit cadentem* (TIT. LIV., III, 18) — *Non aliter vidi existimare vel Cn. Pompeium, quem omnibus qui unquam fuerunt, vel P. Lentulum, quem mihi ipsi antepono* (CIC.) — *Timoleon lumina oculorum amisit, quam calamitatem tam moderate tulit, ut nemo eum querentem audierit* (CORN. NEP., Tim., 4) — *Amilcar ut Carthaginem venit, multo aliter ac sperabat rempublicam se habentem cognovit* (CORN. NEP., Am., 2) — *Uno bello pro patria cadentes duo Scipiones Hispania vidit* (CIC., Tusc., I, 37) — *Videor mihi hanc urbem videre subito uno incendio confidentem* (CIC., Cat., IV, 6) — *Audias me quae a te dicta sunt refellentem* (CIC., Fin., 4, 28).

b) *Participium substantive usurpari potest, in genere tum masculino tum neutro, in numero tum singulari, tum plurali. Haec vero participia, more verborum, adverbium pro adiectivo habere possunt aut etiam debent.*

EXEMPLA: *Bene de me meritis gratum me praebeo* (CIC.) — *Iacet corpus dormientis ut mortui* (CIC.) — *Vir bonus amicorum causas tuetur, laborantibus succurrit, aegris medetur, afflictos excitat* (CIC.) — *De clarorum hominum factis illustribus et glorioesis satis hoc loco dictum* (CIC.) — *Multa facete dicta a sene Catone sunt collecta* (CIC.) — *Omnia benignitas properat, et proprium est libenter facientis cito facere* (SEN.) — *Magna est*

admiratio copiose sapienterque dicentis (CIC.) — *Magnum opus omnino et arduum conamur; sed nihil difficile amanti puto* (CIC.) — *Visu carentem magna pars veri latet* (SEN., Trag.) — *Verum dicentibus facile credam* (CIC., Tusc., II, 21) — *Unus M. Antonius in hac urbe post urbem conditam palam secum habuit armatos* (CIC.) — *Maius dedecus est parta amittere, quam omnino non paravisse* (SALL.) — *Haec sunt officia consolantium: tollere aegritudinem funditus, aut sedare, aut detrahere plurimum* (CIC.) — *Nitimus in vetitum semper cupimusque negata* (Ov.) — *Ventus a septentrionibus oriens adversus est Athenis proficiscentibus* (CORN. NEP.) — *Quid indignus quam comparare veneranda contemptis?* (SEN.) — *Quis pollicetur serenti proventum, naviganti portum, militanti victoriam, patri pios liberos?* (SEN.) — *Corpus augere volentibus* conductus inter cibos bibere (PLIN.) — *Medici leviter aegrotantes leviter curant* — *Plus animi est inferenti periculum quam propulsanti* (TIT. LIV.) — *Caesar Gomphos pervenit, quod est oppidum primum Thessaliae venientibus ab Epiro* — *Quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat* (CIC., Brut., LXXXIX, 306).

c) *Participium tum coniunctum tum absolutum praecedere possunt coniunctiones sensu requisitae.*

EXEMPLA: *Numquam de me, nisi coactus, dico* (CIC.) — *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ut sic tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo vivente faciamus* (SEN.) — *Pater meus, puerulo me utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam imperator profectus est* (CORN. NEP.) — *Pomponianus, quamquam periculo nondum appropinquante, sarcinas contulerat in naves* (P. I.) — *Nihil potest evenire nisi causa antecedente* (CIC.) — *Restitere Romani, tanquam caelesti voce*

iussi (TIT. LIV.) — *Hoc non mehercule mihi, nisi admonito, venisset in mentem* (CIC.) — *Agis rex tantam stragem hostium edidit, ut agmina interdum fugaret. Ad postremum, etsi a multitudine victus, gloria tamen omnes vicit* (IUST.) — *Quidam animos, quasi capite damnatos, morte multant* (CIC.) — *Orator, nisi multitudine audentie, eloquens esse non potest* (CIC.) — *Caesar, quamquam obsidione Massiliae retardante, brevi tamen omnia subegit* (SUET.) — *Nicias a Dolabella magnopere arcessitus, etsi invito me, tamen eodem me auctore profectus est* (CIC.) — *Caesarem milites, quamvis recusantem, ultrò in Africam secuti sunt* — *Hostes maximo clamore insecuri, quasi parta victoria, valuum ascendere coeperunt* (CAES., Bel. gal., V, 44).

De superlativis

a) *Vis superlativorum crescit, si certa eis vocabula adieceris.*

EXEMPLA: *Vel iniquissimam pacem iusto bello anteferrem* (CIC.) — *Hoc affirmaverim eloquentiam rem esse unam omnium difficillimam* (CIC.) — *In fidibus musorum aures vel minima sentiunt* (CIC.) — *Pati vel difficillimum malumus quam servire* (CIC.) — *Gustatus est sensus ex omnibus maxime voluptarius* (CIC.) — *Vel sapientissimus errare potest* — *Athenienses omnium Graecorum multo ingeniosissimi sunt* — *Longe ditissimus* — *Urbem unam mihi amicissimam declinavi* — *Te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum aptumque cognovi* (CIC.) — *Sunt qui vel argutissima haec exta esse dicant* (CIC.) — *Ac sane, quod difficillimum in primis est, et praelio strenuus erat, et bonus consilio* (SALL.) — *Hoc uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos et quod exprimere dicendo sensa possumus* (CIC., De Orat., I, 8) — *Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima* (CIC.) — *Gratus animus est una virtus non solum maxima, sed etiam mater virtutum omnium reliquarum* (CIC., Planc., 33).

b) *Diversis adiectis vocibus quam maxima evadit vis superlativi.*

EXEMPLA: *Reguli constantiam tam minor quam qui maxime* — *Animalium quam stultissima lanata sunt* (PL.) — *Esto in te ipsum quam minime facilis* (SEN.) — *Qui vendit vult quam plurimi vendere* (CIC.) — *Gladiatoriae pugnae Romanos tam delectabant quam quod plurimum* — *Tam intrepidos se praebuere quam quum maxime* — *Caesar quam maximis itineribus potest in Galliam ulteriore contendit* (CAES.) — *Loqui debet adolescens quam brevissime potest* (CIC.) — *Lacedaemon pluris fiebat senectus quam ubi maxime* — *Verbis utamur quam usitatissimis et quam maxime aptis* (CIC.) — *Beneficiis quam plurimos afficere debemus* (CIC.) — *Gradissimum mihi feceris, si huic commendationi meae tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum* (CIC.) — *Tam gratum id mihi erit quam quod gratissimum* (CIC.) — *Ciceronis, ut qui maxime, amicus sum* (AUL. GEL.) — *Auspicia sortesque, ut qui maxime, observant Germani* (TAC.) — *Iungurtha quam maximas potest capias parat* — *Esto quam poteris facillimus* — *Aves et quietum requirunt ad pariendum locum et cubilia sibi nidosque construunt eosque quam possunt mollissime substernunt, ut quam facillime ova serventur* (CIC.) — *Obvias mihi litteras quam argutissimas de omnibus rebus crebro mittas* (CIC.) — *Caesar quam mitissime potest legatos appellat* (CAES.) — *Simul ac progredi coepero, quam celerrime potero et quam cerebrimis litteris faciam ut tibi nota sit omnis ratio itinerum meorum* (CIC.) — *Statue aliquem confectum tantis animi et corporis doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt* (CIC.) — *Tanta est inter eos, quanta maxima potest morum di-*



stantia (CIC.) — Esto quam minime facilis.

c) Superlativus, qui supremum gradum exprimit relate ad inferiores, eleganter comparativo redditur, qui in propositione relativa includitur cum « nemo, nullus », aut « nihil, non », aperte vel occulte.

EXEMPLA: Cato, quo erat nemo fere senior temporibus illis (CIC., Am., I, 5) — Phidiae simulacris, quibus nihil in ullo genere perfectius videmus, cogitare tamen possumus pulchriora (CIC.) — Impedimentum mihi facis, quo mihi gravius abst te nil accidere potest (CAES.) — Scipio Africanus Punici belli perpetrati, quo nullum neque maius neque periculosius Romani gessere, unus praecipue gloriam tulit (TIT. LIV.) — Philotas Attalo, quo graviorem inimicum non habui, sororem suam in matrimonium dedit (QUINT. CURT., VI, 9) — Rex ille, quo non alter maior, misere obiit — Qua puella nihil unquam festivius, amabilius, nec modo longiore vita, sed prope immortalitate dignius vidi (P. I., Epist., V, 16) — Ingenium, quo neque melius neque amplius aliud in natura mortaliū est, incultu atque secordia torpescere sinunt (SALL., Iug., 2) — Homo particeps est rationis, qua nihil est divinus — Amicitiam cole, qua nihil melius habemus — Mediam qua nulla opulentior regio est Parmenionis imperio Alexander subiecit (QUINT. CURT.) — Philosophiam colo, qua nihil a Deo praestabilius hominum vitae datum est (CIC.) — Volo concordiam constituere, qua mihi utilius nihil videtur (CIC.) — Non ego cum Dionysii vita, qua taetius, miserius, detestabilius excogitare nihil possum, Platonis vitam comparabo (CIC.) — Bruti testimonio (quo quid potest esse gravius?) magnam videbatur gloriam consecutus (CIC.) — Quid est in homine ratione divinus?

(Ad proximum numerum).

I. JSS.

IN B. GEMMAM GALGANI VIRGINEM LUCENSEM DILECTAM CHRISTI CRUCIFIXI SPONSAM

Serta donentur tibi, Gemma, flores,
liliis nexae nitidis coronae
et piis festis resonet per orbem
vocibus hymnus.

Ora cum fundis lacrimis oboritis,
Christus amplexu tibi colla iungit;
verba quae dicit Dominus profundo
pectore servas.

Mira te Jesus docuit benignus,
tuta quo tendas iter indicavit;
ipse flagrantis memoravit alnum
cordis amorem.

Blanda cum ridet iuvenilis aetas,
tu Deum quaeris pia tuque mundi
vana contemnis, Satanae ferocis
praelia vincis.

Propter errores hominumque culpas
Christus angores tibi dum revelat,
in tuis pressit manibus cruenti
signa doloris.

Signa quae Jesus dederat superne
impiis celas oculis negantum
proque peccatis lacrimas precesque
fundere pergis.

Moeror o quantus tibi cogitanti
proditi Christi modo Passionem,
atra lugenti modo sauciati
vulnera Christi!

Angeli stantes prope te morantur,
saepe quae Jesus moneat docentes;
saepe præbentes animo dolenti
dulce levamen.

Grata pro tantis superisque donis
en tuo spinas capiti rogasti,
alba divino teneroque Sponso
lilia nectis.

Nunc sedes caelis meritoque gaedes
praemio, felix Dominum tueris;
clarior, plaudunt tibi dum beati,
sidere fulges.

Quae nites festo redimita serto,
Gemma, pro nobis pia semper ora,
ne tot adversis trepidi procellis
dispereamus.

Christus ut mundo dominetur ora
utque cum bellis odiis fugatis
dulcis optato populi fruantur
munere pacis.

Christus ut lapsos miseretur ora,
utque tentatos dubiis serenet,
gaudiis laetos faciat gementes
imperituris;
mitis ut leges redeant amoris,
cuius in terra renovetur ignis,
dum Fides iunctis animis in orbe
una triumphet.

Laus Deo Patri, decus atque Nato
laus Paracleto quoque conferatur:
sint pares uni Dominoque trino
laudis honores.

V. POLYDORI.

CERTAMINA POËTICA

Certamen poëticum Ruspantium

A Romana Studiorum Universitate novum indictum est certamen poëticum latīnum ex legato doctoris Ruspantini institutum.

Ad ipsum cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina non minus quinquaginta versibus constent, et ante diem trigesimam mensis Iunii huius anni 1938 ad « Praesidem Facultatis Litterarum et Philosophiae Regiae Studiorum Universitatis — Romae » inscripta perveniant sine nomine auctoris, quod in involucro sigillis obsignato continebitur. In involuci facie inscribetur sententia quaelibet, quae iisdem verbis in fine carminis exprimetur.

Praemium victoriae erit summa Italicarum libellarum trium millium et ducentarum quinquaginta.

Homines non minus opinione famae quam aliqua certa re commoveri solent.

CIC., Pro lege Manil.

HISTORICAE NOTAE

De Italia præhistorica

Tum Europam cum Italiam ipsam incolas habuisse in periodo quaternaria in comperto est, licet non plane constet de eorum et generis unitate vel pluralitate, et de moribus.

Successiva periodo, quae palaeolithica appellatur, homines primitivi, qui peragrabant Italiam, ursus et bovem primigenium venerabantur aliasque illius aetatis feras. Vestigia horum hominum reperta sunt per orientalem occidentalemque Apenninorum clivum, per Tiberis integrum vallem usque ad Latium, in Liguria, in Sicilia; sed rudiora fuere, nec sufficient ut eiusdem aevi variis gradus certe definiantur, nec ut decernatur utrum unius generis an plurium ii homines fuerint. In specubus vivebant; igne, armis, supellectili aut ex silice aut ex ossibus utebantur; venatione cibum sibi comparabant; cadavera una cum mortui supellectili inhumabant contracta; aliqualem tum religionis cum societatis, cum etiam familiae cultum fovebant; quemnam vero nescimus. Id unum constare videtur, non unius, sed multiplicis stirpis illos primitivos Italiae habitatores fuisse.

Sequuta est periodus neolithicā, quae nomen sumpsit ab usu petrae artificio hominis expolitae, ni exclusive, saltem præcipue. Nova stirps hominum in Italiam migrat; veteres non expellit, sed eis superadditur, sese eis immiscet: id a novis, quae tunc apparent cultioris vitae indiciis, desumitur. Nam huius periodi homines et utuntur expoliore silicea supellectili, et cadavera condunt saepius in specubus hominis opera aut confectis aut aptatis, imo et in casis. Iidem in casis habitant, ut Picena in regione effossa aperte ostendunt, et vasa fictilia iam conficiunt, ascias, secures, mallea ex silice arte quadam fabrefacta adhibent. Exeunte hac periodo iam cuper

apparet tum in Sicilia, cum etiam in Italia saltem septemtrionali. Quum autem proculdubio metallum hoc *cuprum* ab insula Cipro, ubi eiusdem fodinae erant (unde et nomen germanicum *kupper* et anglicum *copper*) deductum sit, facile concludimus homines Italos illius aetatis commercia cum insulis Aegei maris fuisse, ac praesertim cum insula Cipro, aut mari, aut terra. Id profecto non ambigendum, vetustissimas iam tum ante Ariorum immigrationem existitisse in Italia hominum varias stirpes, quibus et « traditio classica » nomen dedit Siculos, Ligures, Hiberos, omnes forsitan ex una stirpe, quam Mediterraneam vocant; ut ex operibus appareat et Dionysii Alicarnassei, et Varronis, et Verri Flacci, et Plinii, et Vergilii. Harum rerum periodus collocatur inter saec. xxv et xvi (an. 2500-1600) ante Chr. nat.

Traditio classica Ligures exhibit vetustissimam ex Italicis vel Europaeis stirpibus; « antiquam gentem » eos appellat Livius (V, 35); « antiquam stirpem » Plinius (*Hist. nat.*, III, 17 [21]; XII, 3); Hesiodus iam saec. VII, a. Chr. « magnam Occidentis stirpem » eos dicit apud Strab. (VII, 3, 7);¹ Cato et Dionysius affirmant eorum originem ignorari. Inter Praearianos esse enumerandos vel ex eo constare videtur quod et cadavera humabant contracta, quae Arii cremabant, et ignorabant metalla, quae Arii adhibebant. Inde fit ut probabilius ad stirpem illam reducantur mediterraneam, quae ex oris Africae septemtrionalibus, una cum Hiberis, per fretum Gaditanum in paeninsulam Hibernicam, in Galliam meridionalem, in insulam Apenninicam sese diffudit. Et sane, non modo sepulchralis et domesticae suppellectilis vestigia eundem vitae cultum innunt, sed et characteres somatici, qui

¹ Cf. *Fragm. Hesiodi*; edid. KINKIEL.

e larvis osseis manifestantur (utrique enim *mesodolicephali* sunt) et elementa toponomastica, uti rectius Pigorini, Chierici, Bonfante opinantur.

Strenua stirps exhibetur: homines tenaces, industriae, nautae audaces atque intrepidi, laborum patientes, custodes suae libertatis, tenacissimi, quibus singula fere Apenninorum saxa inexpugnabile erant propugnaculum: ad extremum Romae resistent. Ii fortasse primi *teramaras*, quas vocant, per Padanam vallem extruxerunt, ex quibus etiam Arianis, qui eis postea successere, Umbri, Etrusci, Celte, Sabini, Latini didicerunt.

Iam Dionysius (I, 10) eos memorat per totam paeninsulam Italicam diffusos: Siculi Ligurum tribus erant, ex qua Siciliae nomen ductum; Ilvates, seu Ilvae insulae incolae, iidem Ligures; Ligurum vestigia inventa sunt in valle Padana, in Corsica, in Latio, in Campania; mare Ligusticum appellabatur tum a Graecis cum a Romanis, imo et in regione Rhodani, Garumnae, Araris, Sequanae, Mosae, Rheim, Woser, Elbae, Danubii, et in Britannicis insulis mare illud quod oras lambit meridionalis Galliae; unde traditio eos diffusos narrat usque ad paeninsulam Pyraeneicam, immo et fortasse per Galliam septemtrionalem, unde inferius depulsi dein fuisse feruntur successivis Celtarum immigrationibus; ut clarissimus Niebuhr, iurisprudentia non minus quam historia praestantissimus, veritus non sit affirmare, Ligures regionem omnem incoluisse, quae patet a Pyraeneis ad Tiberim, a Cevennis Alpibusque Helveticis ad mare Mediterraneum. Proculdubio tempore historico regionem occupant inter Arnum, Padum et Rhodanum.

Tertia est periodus *aeneolithica*, ex aere scilicet et silice nuncupata, quae patet inter saeculum xv et x. Diffunditur usus suppellectilis aeneae; novae stirpes in Italianam

migrant seque cum antiquis immiscent; lata significazione Arii vel Indo-Europaei hi appellantur: non una eaque pura stirps, sed iam mixta, quum profecto ex Asia centrali aut ex Russia Meridionali, adversum Danubium flumen subiens, nova in itinere elementa assumat et assimilet; linguam, mores, indolem aliquantis per certo mutet, atque ad Italiae ostia adveniat. Ex osseis larvis quae reperiuntur characteres somatici huius periodi iam diversi a priori apparent; *brachiocephali* iam praevalent, frequentiora utensilia ex aere et cupro; minus rudia aedificia atque aliud prope aliud, eaque certo ordine disposita, ita ut iam vicos exstisset dixeris; cadaverum inhumationi succedit crematio; vel, melius, utraque una simul exstant, necropoles primae instaurantur; civitas vivorum iam a mortuorum separatur; agrorum cultura non omnino rudis; effodiendae terrae, ducendae aquae, aggerum extruendorum ars non primitiva; quae omnia societatem iam constitutam, et instructos mores, et iura quaedam condita iam demonstrant: peculiares horum Ariorum sunt *teramarae* et *sublicae*, hoc est, vulgo, *palaefactae*.

(Ad proximum numerum).

S. ROMANI.

IDIOTARUM INSTITUTIO

Hippocratis usque ab aetate ad idiotas erudiendos frusta sunt adhibiti conatus, ut hebetem eorum mentem, etsi non acuere, flectere tamen aliquantulum liceret.

At superiore saeculo exeunte, nova ad huiusmodi intentum opera conferri repente visa est, ex quo praecipue Itard quidam Lutetiensis idiotam iuvenem, quem cives omnes noverant asperumque reputaverant, erudiendum sibi adscivit. Anno vero 1848 Belhomme, medicae artis doctor, librum exaravit, quem *De mentis imbecillitate elu-*

cubrationes inscripsit (*Essai sur l'idiotisme*), ut suaderet sapientibus miseros huiusmodi mentis aegrotos aliquantulum erudiri posse et debere: huius deinde discipulus, Ferrus nomine, magistri desiderium explevit, eiusque exemplum Falveius et Voisinus imitati sunt.

Sed Eduardi Seguinii prima laus est, novae huiusmodi disciplinae fundamenta posuisse, atque patienti et constanti studio eo devenisse, ut operis fructus neque inutiles neque exiguos colligeret; quare non immerito eum « idiotarum apostolum » vocarunt. Prodiit quidem eius liber anno 1845, cui titulus *Moralis et corporea idiotarum exercitatio atque eruditio*, cuius deinde regulas quisquis in eum finem quavis educatione maxime arduum incumbit, servare hactenus optimo exitu non destitit. Huic fere aequalis Helveticus Guggembuhl idem sibi opus in patria assumpserat, asyla et scholas ad rem considerat.

Italis postremo cura haec novissima tot inter alias innumeratas aggredienda emersit, et Sanctus doctor De Sanctis, recens vita functus, recte cogitavit de societate constituta, quae et medicorum et magistrorum simul curas pueris fatuitate laborantibus procuraret, asylo ad rem condito quo diem integrum ipsi deducerent. Non vero omittendum Antonium Gonnelli-Cioni medicum, qui in Bergomensium finibus anno 1887 iam conatus est idiotarum institutionem non sine fructuum ubere copia et magna optimorum laude. Idiotas enim haud ferme vates efficit; at ea tamen institutione roborat, quae ad vitae labores sustinendos sit satis, et primis moralis disciplinae elementis imbuit, ne misellus puer, obscurus sui ipsius iudicio relictus, in civitatis perniciem aetate et viribus augatur.

Sunt autem idiotarum signa quaedam externa corporis, quaedam animi. Corporis sunt deformis figura capitidis, impar vultus facies, devius oculorum intuitus, dentium caries, tactus hebes aut peracutus,

nimii vel imbecilles corporis motus, gustus vel olfactus aberrations, balbus vel blaesus sermo, inordinatae musculorum contractiones et deliramenta nervorum. Animus vero et ipse variis laborat defectibus; aut enim intendendae cogitationis vi caret, aut nimia socordia deprimitur, aut nulla imitandi cupiditate incitatur, vel simulandi studio corripitur, aut proximis detrimen-
tum gaudet afferre; sensus amoris, officii, pulchritudinis, caritatis aut nimis aut nul-
limode percipit.

Atqui tot variis dissitisque morbis Gon-
nelli-Cioni ille doctor trifariam mederi doc-
uit, sensum corporisque institutione, in
quam patiens laboris magister incumbat, ut
motus inhabiles provocet, sensus ad varios
sonitus coloresque distinguendos acuat,
gustus ad sapida vel insipida, tactus ad
calida vel frigida distinguenda dederat.

Morum autem doctrinae altera est edu-
catio, quae potissimum circa religionem
versatur et omnis vitae regulas ipsa complectitur, cui copiosissimi tanti conaminis
exitus praecipue adscribendi videntur.

Extrema denique manuum opera respi-
cit, qua miselli infantes, prout cuiusque
morbi et natura ferunt, prudenti electione
erudiuntur, ut laboris studium eorum etiam
in cordibus incendatur.

Quibus ferme experimentis concludere adstringimur una cum Pinel, Esquirol,
Ferrus, aliisque summis in medica arte
viris, fatuis etiam, atque idiotis praecipue,
spem aliquam institutionis affulgere, dum-
modo rationabili regimine periti medean-
tur, et morbi illi quibus cerebri forma vel
volumen nimis graviter laeduntur, absint
saltem.

R. S.

*Vilium satis hominum est et suam laudem
quaerentium alios viles facere, quia alterius vi-
tuperatione se laudari putant, et qui suo merito
placere non possunt, placere volunt in compara-
tione malorum.*

S. HIERONYMUS.

COMMUNIAE VITAE

Peregrinatio per cubiculum

Nuper aegrotaveram; at satagentibus una medico, me, adstantibus, ex infirmitate corivalueram. Non tamen ita, ut penitus refectus viribus possem extra progredi, et impune per Urbem versari. Erant adhuc in pectore reliquiae morbi, quas nondum apollinea prorsus exterminaverat ars, et, sicut ignes suppositi cineri doloso, possent excitare rursus incendium. At interea et volupe erat; nam, sole zephyrisque iucundi, invitabant me verni dies, volupe erat et videbatur futurum si meridianus me deambulator per Urbem ferrem amicorum quaerens occursum, quaerens alloquia, quippe triste erat semper eodem in loco esse, et plerumque solitario. Medicus lamentationibus meis nescio utrum fessus, an miserans, ratus est belle curare simul corpus et animum, vetuitque rursus omnibus minis me exire domo, iussitque potius me domi ambulare. « Et quoniam — inquit — me latina delectant, rusticatum i per cubiculum, singula notans, in quae incurras, et videbis et senties plus et rusticationis et delectationis haberi domi, quam foris. Quaeque autem notaveris mihi vi-
suro asserva, idque utile utrique fiet ». Nil moror, et praescripta sequor; hoc autem addo, ut quae ille privato facienda pree-
perat, publice facta, immo peracta reddan-
tur, et in commentario nostro, medico vel indignante, clarescant.

En domi sum, et, quasi omen praef-
rentibus bonum, non quatuor, sed quinque claudor parietibus, *pentalpha* illud Alexandrinum, aut, si velis, Aegyptium designantibus. Luci diurnae tres per fenestras est aditus, nec sine mysterio fausto prima duo clauduntur impari numero; quinque, scilicet, ac ter. Si « numero Deus impare gau-
det », mea fruatur domo necesse est; ha-
bitaculo meo quid enim numeris insignius?

Quinque parietes, tres fenestrae, porta una, sellae septem, scalarum ordines no-
vem... Secundis dis omnia mihi conspirant in bonum, neque ultra convaluisse miror. Imparia haec me sanum potius fecere, quam medicus, qui tot scalarum gradus quotidie diris devovit.

Modica me circum supellex: utensilia intra commodum et usum, omnino extra ostentationem et luxum. Quid hac « scrip-
toria mensa » simplicius? « Vitreum atramentarium » quasi dominus eminet, cui proxima, quasi nutrix fida, « atramenti ampulla », cui adstent, velut avlici, multiformes « calami » partim ex chalybe, partim ex pennis, cui deserviant et chartarum « scapi », et soluta quaedam « chartarum folia » et « epistolarum involucra » et « chartae bibulæ », et « sigillum » et « assula », et hispanicae « regulus », seu « fusulus » cerae, et « commentariolum », in quo notantur, pro opportunitate memoriae, sive quae certo die agenda manent, sive quae digna notatu videantur, ne oblivione depereant. En coram me « pluteus », dispositus per « tabulata » libri, a fragmen-
tis Ennii ad Claudianum, a Catonis *Re ru-
stica*, et Apicii *Re culinaria* ad Macrobius et Petronium, a Cicerone ad Lactantium Firmianum. Eminent Varronis quae casus vicere barbaricos, et saeculorum iniurias, tum recentiora per saecula scriptores.

Sed curnam gravibus hisce impleo caput? Levia quaeram aptiora saluti. Frons aestuat, et refrigerio eget. En ad « mal-
lum » accedo, et « sapone » puram in undam immissio, confrico manus, quibus aqua recenti emundatis, et hac in « con-
chulam » proiecta, « pollubrum » Marcio fonte compleo, et vultum gelidis undis re-
creo ac reficio. Inde « manutergio » ora sicco madentia; et quoniam tempus postulat, barbam lavo « magnatis », et si qui sint pili, « novacula » per « cotem » deducta deleo. « Spongia » in genas admota, ne quid humoris dentes dolore afficiat, « spa-

dice », « peniculo » cuncta detergo curatu-
rus ungues « axicia », curaturus propexam in pectus barbam et capillos, ipse mihi tonsor et barbitonsor et tonsus. Quantae in uno homine me sunt, et quot artes! Certe potiori iure quam Nero moriturus dicam: « Qualis artifex pereo! » « Fuco » non utor, neque ullo « unguine » capillos, ut bene oleant, inficio. Sat curae; munditiae suf-
ficit; prosequar deambulationem suscep-
tam.

Mensam unicam habeo, in qua modo cum amicis ludam, modo dispositis patellis coenam, prandeam; nuper... Ah! quid dixi habere me? Antequam aegrotarem habui, nunc habeam, nec ne, incertum est; nil ultra. Siquidem nec lusoriae sunt ibi « chartae », nec « diagrammismus », neque « scrupi », neque « latrunculi », neque « albi nigrique lapilli », neque « tesserae ». Mensa haec subita mutatione fortunae con-
versa est in « delphicam », si oculis cre-
dideris, conversa est in « vasarium » liquo-
rum, quo palatus reficiatur et stomachus, conversa est in promptuarium quoddam omnium suavitatum... Ne credas, et

nimum ne crede colori.

Dic potius pharmacopœiae mensam, dic emporium amarissimorum pharmacorum. In hac ampulla « ricinorum oleum » (ri-
cinos placuit medicis appellare baccas, quae a palma Christi nascuntur); in illa est « oleum amygdalinum ». In alio vase « casiae pulpa », in isto « indicæ palmae » (sic enim Tamar-indus interpretatur) obtri-
tae uvae; in illo « peruviani corticis » quem dicimus *china* pulvis, cum « quassio ligno » commixtus... Abite in pestem, amari ad-
venae! Nil moror; singula vascula, singula involucra, singulas pillularum thecas per fenestram proiicio festina manu, et ci-
tharam, et chelim, et musicos libros re-
quiro in angulo iacentia omnia, ut in pristi-
num restituam honorem et locum... Exhinc dulcia vini pocula, grata obsonia palato,

bellaria, ludi, risus et ioci mensam hanc obtinebunt, ut antea, eritque ara non Aesculapio dicata, sed Gratii atque laetitiae!

Sic ego reciperata salute laetans iactabam, et in pharmaceutica omnia

furiata mente ferebar.

Drin, din din!... Drin, din, din! Drin, din, din!...

Quis portae tintinnabulum pulsat? Cur festinatione tanta urget et instat? Abeo visum. Di boni! Municipii duo... milites dicam, an accensos? Utrumque. Tum senior ex duobus: — Tu ne hic aegrotus? — Et ego: — Aegrotus eram; nunc fere convalui, ut vides. Tune medicus? — Minime — inquit ille; — sed venio tibi mulctam irrogaturus. — Ecur? — ego. — Numquid aegrotare non licet, aut a convalescentia prohibeatur? — Utrumque pro libito tibi licet — ille respondit; — sed medicamenta, quae domi habes, et horum reliquias de fenestra in viam torquere nec tibi, nec cuiquam est, praesertim conclusa vitreis ampullis, praesertim si constant oleis maculosis, praesertim si in nos contorta. Ecce vides quo nos modo foedaveris!

Dixit ostendens sui tunicam socii ab humero ad renes pectusque oleo illo ricinorum nequissimo sordidatam. — Ergo nomen tuum dabis, ut, mulctam irrogantes, diem tibi dicamus, quo ad praetorem damnaturus devenias; inde damna nobis illata maculatis pro vestibus repensurus.

Quid facerem? Num negarem? Mendum ne dicerem turpe? Fassus aperte sum et me fecisse, et quo indignationis abruptus impetu non facienda patraram. Nihil iudicis, nec iudicii inter nos opus esse. Res inter benevolos arbitros expedietur. Annuit ille; sed haec de damno; circa irrogatam mulctam cum municipio componenda rem non facilis negotii esse dicit. Quid autem futurum fuerit alias forte dicam.

P. d. V.

ANNALES

Nationum Societas et Civiles per Europam eventus

Societatis Nationum Supremum Concilium centesimam habuit Genevae sessionem, ex qua id unum apertum apparuit, non exiguum sociatarum civitatum partem re liberam sese reputare ab auxiliis officio simul invicem praestandi aliisque foederis normis. Quid igitur Societati eidem reliquum erit?...

En interim in Dacia administratorum collegium, Iudeorum praesertim opera, uti asseritur, ei adversantium, quiq[ue] tumultus hic illic excitare non dubitabant ex proximis comitiis occasione capta, de improviso munere se abdicavit. Rex viriliter intervenit novique gubernii constituendi ex delectis legatis rei publicae salutem unice appetentibus committit Patriarchae Orthodoxae Dacicae Ecclesiae Mironi Cristea; qui obsidionis statu, prouti vulgo dicitur, per universam civitatem edicto, novam nunciat rei publicae constitutionem novis populi studiis adaequatam, publici aerarii instauracioni intentam, atque civium omnium concordiae. Huiusmodi civilium rerum renovatio, artium collegiis praecipue innixa, populi scito fere unanimi rata et confirmata statim est.

In Anglia, Eden, ad extera negotia minister, a civili gubernandi ratione, eaque ad concordiam actuose prona, Chamberlain praesidis dissentiens, et ipse ab officio secessit; eius munus Halifax assumpsit. Evenit, inde, ut actiones cum Italia ad antiquam amicitiam restituendam resumptae brevi sint, quas in Europeae pacis tamdiu auspiciatum adventum futuras omnes speramus.

In Germaniae oppidum Berchtesgaden convenerunt Hitler, Germanorum Dux, et Schuschnigg, Austriae Cancellarius, ad pa-

ctionis Julio mense MCMXXXVI initae nonnulla argumenta illustranda ac tempestive definienda; ex quo colloquio sequuta est Austriacorum administratorum aliquot suffectio, eorum maxime qui non satis favorabiles Germanorum parti viderentur, et veniae impunitatisque concessio damnatis reipublicae causa. Austriae Cancellarius in oratione ad populum deinde habita asserere non dubitavit, ex recenti Berchtesgadensi conventu iterum Austriacae libertatis iura consecrata esse simulque duos eiusdem stirpis populos, Germanicum nempe et Austriacum, alterum ad alterum amice admotum esse.

Deinde gubernii mutatio et in Gallia facta est. Chautemps enim, administer primus, postquam apud publicum coetum legibus ferendis pactionem Gallico-Russicam Nationumque Societatem pro viribus defendit ominatusque est Anglo-Italicis colloquiis prosperum eventum, imo sese laetum est professus si et Gallicam cum Italia amicitiam ipse stabilire posset, latoque consensu haec sua effata accepta vidiit, insequentie die, ob aliquot cum Senatu dissensiones circa «Operum instituta» a se proposita obortas, nec opinato magistratu se cum collegis abdicavit.

Ex belli regionibus

In Hispania quum duae aliae Anglicae naves, eaeque onerariae, demersae in Mediterraneo mari proditorie fuissent, a nationibus inspectioni interni maris addictis, Anglia, Italia et Gallia, statutum est igniferis globis iri ex nunc petitum subaqueam quamvis litrem quae in illis aquis consiperetur.

Belli autem vices favorabiles omnino «Nationalistis» cesserunt; qui Teruel urbem tandem certe capta, victores per Aragoniam et Extremadura procedunt.

In Sinis Iaponii in dies per medias regiones progrediuntur; mox, Flavo flumine

transacto, inferiorem Sciansi et Honan oppugnant, ad Hankow tendentes.

In Palaestina Arabes et Angli ad aper-tam dimicationem devenisse dicendum est.

POPLICOLA.

VARIA

Qui cupid vel Rempublicam vel Sectatores suos diuturna esse, ea saepe corriger debet et veluti ad prima sua principia revocare.¹

Quae in hoc universo continentur, ea omnia certo vitae spatio terminantur: singula vero insitam vim quamdam atque desiderium habent semetipsa conservandi, ab interitu abhorrendi, et mutationes noxias fugiendi, salutares appetendi. Inter ceteras vero totius universi res praecipuae sunt Respublicae atque Sectae, quibus salutares sunt illae mutationes, per quas corrigitur, emendantur, et ad primam suam originem principiumque revocantur. Quod si igitur vel Secta vel Respublica certis legibus instituta sit, ad huiusmodi emendationem certo annorum spatio faciendam, introducendosque antiquos mores et consuetudines: eae diuturniores esse solent quam quae non nisi ex accidenti et casu quodam emendationem admittunt. Si nunquam emendentur, diuturna esse non possunt, quod sensim omnia in peius ruant, donec plane revertantur. Emendandae Respublicae corrigerandarumque Sectarum ratio optima est, ut ad principia sua revocentur, ita nimur, ut primi illis mores et antiquae leges atque consuetudines rursus introducantur, et revocentur in usum. Principia enim cum Sectarum, tum Rerumpublicarum atque Imperiorum omnia aliquid

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

boni habent, vel ex ipsa necessitate; ad cuius normam si postmodum emendentur, recuperant antiquam dignitatem et auctoritatem; si nunquam corrigantur, ita sensim in peius ruunt omnia, ut aucta paullatim malitia, tandem ruere cogantur; perindeque iis accidit, ut de corpore humano loquuntur Medici, in quo singulis diebus aggregatur aliquid quod curatione indiget, et nisi tollatur, tandem morbos lethales parit. Ipsas igitur Respublicas quod attinet, dicimus corrigi et ad principia sua revocari partim ab externis accidentibus, partim intrinseca prudentia, vel viri aliquius singularis virtutis, vel legis de reformanda civitate per certa intervalla latae. Prioris generis sunt, quae fato quodam evenire atque accidere videntur; quale est, quod Romae ex Gallorum adventu accidit. Eo enim modo revocari pristinos mores, antiquam virtutem et religionis cultum exsuscitari oportebat, quae paullatim omnia Romae collapsa erant; ut satis appareat ex historia, qua illorum apparatus adversus Gallos describitur. Nam quum prius adversus finitos bellum gerens ea Respublica tandem ultima quaeque remedia auxiliaque tentare soleret, tunc, ut erant civitatis mores, ne in hoste quidem inusitato atque inaudito quicquam extraordinarii auxiliu quaequivit: tres Fabios, qui legati quum essent contra ius gentium pugnabant, non modo non punivit, sed Tribunos consulari potestate creatos belli summaca praefecit. Qui porro de reliquis Regum ac ceterorum sapientissimorum virorum legibus atque institutis existimare aliter debemus, quam sopita ea neglectaque iacuisse? Itaque superveniens extrinsecus illa clades efficit, ut monita et quasi expergefacta civitas antiquas leges rursus in usum revocaret, religionem coleret, iustitiae operam daret, benemeritis civibus honorem praemiaque deferret, et virtutis eorum rationem haberet. Haec enim omnia perbelle successerunt, postquam captam a Gallis urbem

Camilli virtute recuperassent. Nam quum contemptos ab se deos esse putarent, qui rationem non habuissent praesagii de Gallorum adventu monentis, idcirco expiandae eius rei causa, templum condidere, et cetera, quae ad religionem pertinebant, magna cura tractarunt. Fabiorum facinus punierunt, Camilli autem virtutem deinceps tanti fecerunt, ut, postpositis privatis iniuriis eum summae rerum praefecerint, usque adeo ut ab illo tota Respublica pendere videretur, praesertim ubi quid bellici terroris ingrueret. Usque adeo scilicet prosunt huiusmodi adversi casus, si recte ab iis accipientur, quibus accident: necessumque omnem hominum societatem quandoque emendari et versus sua principia revocari, sive per hos externos causas, sive ex internis causis fiat.

(Sequitur).

Musca et crabro

Hac derideri sentiat se fabula
Virtutis expers qui superbit turpiter.

In cornu tauri musca arantis sederat
Vultu et gerebat operis laudem rustici.
Crabro advolat: tumentem vapide dum stupet
Spurcificam scitur: « Quid ita, sororcula?
Quae tanta agis nunc occupata in otio,
Bestiola bibax? Est comem cur me negligas? »
Ait insolens tum celsa ales de sede: « Aro ».

M. GINOTTA.

Pro iudicibus mensarum elegantibus

ESCARUM ORDQ:

Pilulae herbaceae in iure natantes.
Lixulae romano more conditae.
Panis crustula, perna et caseo interiectis.
Pullus isiciatus; Acetaria.
Musa paradisiaca syrupo madida.

IMPRIMATUR:

† Fr. ALFONSUS C. DE ROMANIS Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[24]

ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Modo si audiverit te mecum in eadem esse sententia,
Obsistet Publio, si per te istac re doctus erit,
Nam ut vir ille sapiens dixit, salus re publicae
In primis per te cernitur, per te sentitur maxime.
Nam quid illi iam dicam de te consule?
ME. Parum mali foret, si cuncti, qui Romae dare
Debent operam, prout sibi lubet neque prout
Superbe cogitant, laborarent constantissime.
Is modo contentus est, quo licet dicere:
« Pol recte sum decontatus ac nisi scientia
Me decipit, ita rem esse oportet. Sane quidem
Ego persaepe pecco, sed hoc etiam aliis facit;
Scio me, quod bonum sit, istuc concupiscere.
Ergo optumumst hercle rationem sequi me meam ».
Dic sis Lycinio tribuno: Ego sic sentio.
AP. Ergo recusas istanc rem; qui non utitur
Instrumentis, finem consequi non cupit.
ME. Ignobilia instrumenta deformant finem bonum,
Ignobilibus instrumentis ego uti nevolo.
AP. Edopol ego nil hic ignobile video. Patres mei
Persaepe scintillas ardentes extinxerunt hoc modo.
ME. Non hercle extinxerunt; compressa nam modo
Scintilla magis etiam exardescens semper proelia
In Romana re publica conflavit sanguinaria.
Egone tali homoni, qui furtim venit ad me callidus,
Neque mecum unquam aequali lingua colloquitur,
Dextram prudenter et honorifice porrigit?
Istuc absit velim; malum ab illo spero fore,
Etsi bene mihi velit. Aegre fero, quod callidus
Homo falso arbitratur pectus meum
Ad veritatem esse clausum neque meum caput
Istuc stupidum posse rete ipsius effugere;
Hoc civem vel minum cogit resistere
Atque odium suscitat. Nam panem contemptim datum
Etiam servos humiliis indignabundus accipit.
Bonus vero civis sese volt aestumarier
Eumque colum aestumat, qui se russum aestumat.
Fiducia mutua excitat ac servat sensum civium.